

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Udrag fra Ad Daniam elegia

Citation: Brahe, Tycho: "Tychonis Brahe Dani opera omnia", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer , 1913-29, s. 210. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho09tom-shoot-idm139660972092512/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

Posteritas grato veluti testabitur ore,
 Gratia sit nostro tempore muta licet.
 Quanta Machaoniâ simulac effecimus arte,
 Quæ facile ægrotis morbida membra levat.
 Dania si taceas, Norici Suecique loquentur, 5
 Sensit ubi nostram plurimus æger opem.
 Nec tamen hinc lucrum sectabar, ut undique moris,
 Gratis quippe dabam parta labore gravi.
 Nimirum hoc fuerat, cur tanta odia invida fessi,
 Hinc abitus nostri manat origo vetus. 10
 Quæque diu latuit nec aperte prodita, donec
 Invidiæ virus, qui stabiliret, erat.
 Sic vitium pepulit virtutem, non mala causa,
 Discessu in nostro crimen abesse juvat.
 Quantas sustinui curas, impendia quanta,
 Ut fieret celsum, quod meditabar, opus? 15
 Quam multis etiam Sophiæ mysteria pandi,
 Quos alii longum sumptibus ipse meis?
 Pluraque præterea, vereor quæ dicere cuncta,
 Ne proprias laudes enumerare ferar. 20
 Pro quibus (ô Superi) mihi gratia reddita talis,
 Sex ego cum Natis Matreque ut exul agam.
 Sum tamen haud exul, libertas obtigit ampla:
 Exilium in Patriâ verius ante tuli.
 Nunc ego prospero ago, proprij nunc juris alumnus, 25
 Nunc mihi pro Patriâ maximus Orbis adest. ||
 Excipientque alij, sic prospiciente JEHOVA,
 Gratus erit cunctis noster ubique labor. 27
 Tu licet hunc renuens spernas damniisque fatiges,
 O Patria, ô laudis prodiga facta tuæ! 30
 Ergo ingrata vale; Patria est mihi quælibet ora,
 Quæ volet Æthereis æqua litare sacris,
 Quæque volet nostros agnoscere grata labores,
 Quæ mihi pro meritis non feret immerita.
 Dania sed (fateor) fatis excusabilis in se est, 35
 Condolet et proprijs ingemit ipsa malis.
 Tu quoque magnanimi Friderici Heroïca proles,
 Inscius hinc culpâ, Rex generose, vacas:
 Invitisque alijs, animus quibus integer, ista
 Fiunt: Dij faciant non mage prava sequi. 40
 Sunt aliqui pauci, quibus haud tamen ipse nocebam,
 Qui mihi quâ possunt arte doloque nocent;

Hi